

sanctorum, nec appetitus eorum complete satiareetur, quinimo sine eo afflictus et inquietus remaneretur eorum animus. Quis enim videns et facie ad faciem Deum optimum maximum contemplatus, animo non crucielur, si ab ejus amore arceatur, si nihil ex ejus visione delectamenta percipiat et si ob tanta bona que in Deo demiratur, non possit ei congaudere? Certe inquieti, anxi neque perfecte beati essent sancti, si hoc gaudio privarentur. Quod ut clarius pateat, audi Boetium dicentem, quod beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus (de cons. Phil. 8, 2.): si autem deesset gaudium, eorum beatitudo non esset omnium bonorum aggregatione perfecta, quia illi deesset unum bonum, gaudium scilicet; idcirco fatendum, gaudio, quod ex Dei visione et amore manat, sanctos perfecte et complete beari. Quod probe novit D. Augustinus, qui licet pluries sanctorum beatitudinem in Dei visione consistere dicat, non intendit tamen excludere ratione beatitudinis gaudium, quod ex Dei visione et amore necessario consequitur, seu potius illud includit: imo et sanctorum beatitudinem in hoc gaudio complete consistere assertis verbis: *ipsa est beata vita, gaudere ad te, de te et propter te: ipsa est et non altera* (Conf. 10, 22). Itaque concludamus, finemque toti huic concioni faciamus, dicentes, quod sancti in celo summe beatificantur, quia Deum vident, quia Deum quem vident summe diligunt, et quia Deum videntes et amantes ineffabili gaudio perfunduntur. O quam infelices et miseri sumus nos! qui per hujus maris magni fluctus, procellosasque voragines navem trahimus, ignorantes, an ad portum salutis pervenire valeamus. Infelices, inquam, nos, quorum vita est in exilio, via in periculo, finis in dubio, nescientes finem nostrum, eo quod omnia in futurum reserventur incerta. Infelices tandem nos, qui in mediis pelagi fluctibus versamur et felices supra modum sancti, qui de naufraga vita praesenti ad optatum salutis portum pervenerunt, ubi beatitudine innenarrabilis perfruuntur, quia intuitiva vident Deum, qui est objectum beatificum, quoniam ardenter amant Deum, qui est bonum infinitum, et quia ex tali visione et amore ineffabile

in corda eorum fluit gaudium. O fratres, ambiamus in celo beari cum Sanctis: *concupiscamus in atria Domini, crebro suspirerimus illuc* (S. Bern. serm. de obed.). Optemus intrare in civitatem sanctam Jerusalem et illic cum sanctis beari. Hoc desideremus non otioso, sed efficaci desiderio, quo ad facienda quae salutis sunt, alliciamur. Nullus est qui aeternae beatitudinis quodam desiderio non cieatur; omnes cum sanctis in celo beari cuperent; tamen in paucis efficax reperitur illud desiderium et pauci exempla sanctorum imitari, idque facere volunt, quo acquiritur celum: *beati omnes esse volunt; sed hoc pauci volunt, sine quo non pervenient ad illud, quod omnes volunt* (S. Aug. in Ps. 118). Ut acquiratur aeterna beatitudo, hoc perficiendum, sine quo ad illam non pervenitur; proinde ut quis celestem beatitudinem obtineat, pie vivere debet in hoc mundo; hec est via qua ad celum itur et ideo tenenda: *quarenda est gloria Dei per vias ejus; nam quomodo alioquin eo pervenitur, si via que eo ducit, non teneatur?* (D. Greg. Mor. 16, 4). Pie ergo vivite et aeternam beatitudinem obtinebitis. Amen.

DE SANCTO MARTINO EPISCOPO

CONCIO UNICA.

Obsecro vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis (Ephes. 4).

Sanctissimi pontificis Martini actus et vitam Severus Sulpitius, insignis orator, ita suo nobilitavit eloquio, ut historiam ejus non solum sincere delineaverit, verum et rhetoricae legibus multipliciter exornaverit. Nec propterea credendum, quod meritiorum eximii hujus Antistitis attigerit terminos, cum fateri

non deditur, omnia in Martino esse majora ac ita sublimia, ut mente concepi nequeant: *omnia majora in Martino sunt, quam ut verbis concipi queant.* Propterea de sancto pontifice Martino, sicut de Iesu, dici potest, quod fuerit *par solis*: sicut enim in sole omnia magna et mirabilia sunt, ita et in Martino morum innocentia, puritas virginalis, mundi contemptus, erga pauperes misericordia, fuga dignitatum, crucis amor, fiducia in Deum, in proximum charitas, cælestium contemplatio, omnia denique magna et portentosa exitere. Quod patebit, cum eum in omni statu ad quem vocatus est, digne ambulasse ostenderimus: *digne ambuletis vocatione, qua vocati estis. Ave.*

Martinus juvenilibus annis militiae seculari nomen dedit; major factus, sæculo valedixit et sumpto monachii habitu, solitariam vitam duxit, a qua tandem urbis Turonensis cives illum sancta fraude et pia arte eduxerunt, eumque invitum ad Turonensem episcopatum sublimarunt. Unde qui totam sanctissimi hujus Antistitis vitam sedulo lustrabit, eum primo militem, deinde monachum, ac tandem episcopum extitisse admotabit. Ecce diversi status, ad quos vocatus est et in quibus dignissime ambulavit Martinus. Ut enim ait Doctor Seraphicus, *Martinus bonus fuit in statu militari, melior in habitu monachali et optimus in cathedra pontificali* (serm. de S. Mart.). Sanctissimum hunc virum in tripli hoc contemplemur statu, militis scilicet, monachi et pontificis, ac videamus 1. virtutes illius militis; 2. sanctitatem hujus monachi; 3. perfectionem hujus episcopi. En tres hujus concionis partes, quibus constabat, sanctum Martinum digne ambulasse in omni statu, ad quem vocatus est: *digne ambuletis vocatione, qua vocati estis.*

I PARS.

Virtutes sancti Martini in statu militis.

Militia secularis minime habetur uti virtutis schola; militum enim castrensum vita vitiis multis fodari solet et rarissime christianis virtutibus decoratur: *nam nulla fides, pietasque viris, qui castra sequuntur.* Martinus vero cum aliis militibus miles, ab aliis vita et moribus longe fuit alienus; non enim torrentem vitiorum secutus virtutibus multis claruit, ac præcipue 1. misericordia erga pauperes; 2. castitate in corpore; 3. fiducia in Deum.

1. Nil in bello usitatus, quam cuncta obvia rapere. Ibi quisque jus habere putat in proximi bona; ibi a multis ut virtutes prædicant rapina et furtum, isque majorem gloriam sibi conciliasse credit, qui plures rusticos, plebejos et pauperes bonis temporalibus et ipsius vestibus spoliavit. Jamvero tantum abest, quod Martinus aliorum auferret bona, quin contra propria effundebat et in pauperes ita se beneficium et misericordie exhibebat, ut de ipso, sicut de Stephano, dici debeat, quod *charitatem pro armis habebat* (Fulgent. serm. de S. Steph.). Innata videbatur Martino adhuc militi in pauperes misericordia; eos videre non poterat, quin eis omnibus modis sibi possibilibus subvenire conaretur. Manum suam libenter extendebat ad pauperem, et ut alia taceam charitatis et misericordie beneficia, quæ a Martino adhuc militi pauperes receptorunt, unicum nunc recensabo, præclarum scilicet illum charitatis actum, quo chlamyde sua in duas dispergita partes, una sibi riservata, alteram pauperi misericorditer dedit. Martinus nondum ad monasticam disciplinam fuerat eruditus; adhuc militiam sequebatur armatam; non in claustris adoleverat, verum in castris; nondum sub sancto Hilario profecerat, adhuc sub Constantio Augusto et Juliano Caesare utroque nequissimo et perditissimo militabat. Et tamen sub talibus agens principibus, tanta præ-

stitut misericordia, ut pauperi nudo dimidiam chlamydis partem dederit, seque nudato, nudum Christi pauperem operuerit. Qui charitatis actus ita Deo placuit, ut Martinus Christum videre meruerit, dimidia illa chlamyde, quam pauperi dederat, indu- tum, ipsumque coram angelis laudantem et dicentem; *Martinus adhuc cathecumenus hac me ueste contexit.* Ecce mi- litem, cuius magna in pauperes fuit misericordia: et magna etiam fuit hujus militis castitas.

2. Durissima adversus castitatem certamina patiuntur christiani, a quibus raro victores exount: *inter cetera christianorum certamina, duriora sunt praelia castitatis, ubi quotidiana pugna, rara Victoria* (S. Aug. serm. 251 de temp.). In castris autem creberrima sunt hujusmodi certamina et rarissima victoria, quia ibi milites plerunque non vincere, imo vinei volunt, quærentes quo venerei voluptatibus indulgent et pravo carnis appetitu satisfacient. Quod potissimum verum comprobatur de castris, in quibus militabat Martinus; ibi enim milites sub impuris ducibus de castitate non curabant et tam horrenda adversus mirandam hanc virtutem patrabant criminia, ut ea enarrare puderet. Itaque sanctus Martinus in mediis castris de carnis triumphavit illecebris et inter impudicos milites castitatem illasam custodivit. Sicut margarita in medio maris existentes, salsedinem ejus nullo modo participant, ita Martinus in medio impudicorum militum vivens, nulla unquam impudicitie macula fœdatus fuit; sic tota vita sua tempore virginalem puritatem illibata servavit; id testatur Doctor Seraphicus dicens; *hanc puritatem, virginalem scilicet, habuit Martinus, ut Regis per innocentiam posset placere conspectui, cuius contubernium diligebat* (serm. de S. Mart.). D. Bonaventura accinit Severus Sulpius, qui virginalem S. Martini castitatem extollens et predicans, ait, quod fuerit *vitro purior et lacte candidior;* quodque virginalem hanc puritatem usque ad mortem perfecte servaverit et ideo coelestes spiritus, quibus cognata est virginitas, ei post mortem obviam venerint: *quia angelis cognata est virginitas, ideo celi cives in ejus transitu ei obviam venerunt.* Miramini

Martini adhuc militis puritatem; *itemque miramini magnam ejus fiduciam in Deum.*

3. Milites fere omnes confidunt in virtute sua, in robore suo, in dexteritate et experientia sua, non autem in Domino, a quo habent quidquid habent et sine cuius auxilio neque belare, imo nec digitum movere valent. At Martinus non in principibus, in quibus non est salsus, non in armis et equis, non in virtute et robore suo, verum in Domino confidens, gravia quaque impavidus obibat pericula et ubi pavebant strenui quique milites, ille abjecta quavis formidine, constans et securus stebat; insuper et cum propheta dicebat: *si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* Hoc præcipue dixit vir sanctus, cum militie sæculari valedicere voluit, ut in solitudinem secederet. Cum enim sanctum suum propositum manifestasset, dux exercitus sub quo militabat, arbitrabatur talia meditari Martinum non tam ex pura Deo inserviendi intentione, quam ex timore cadendi in prælio; idcirco Martinus, ut probaret, se non ex formidine, sed ex puro Deo inserviendi desiderio talia cogitare, exercitus ducent adiut, ac sancta in Deum fiducia roboratus, ab eo facultatem petiit, hostium exercitu se opponendi, promittens, quod solus sine armis et sine clypeo, impavidus cuneos eorum penetraret: *ego signo crucis, non clypeo protectus, aut galea, hostium cuneos penetrabo securus.* O magnam hujus militis in Deum fiduciam! Non satis laudari et prædicari potest miranda S. Dominici in Deum fiducia, qua tanta exitit, ut Christi crucifixi imaginem dextera gorrens, formidando Albigensum, qui minas et cades spirabant, exercitu impavidus sese opposuerit (1). Ensibus et sagittis adversus christianos armati incedebant hi heretici, nilque magis in votis habebant, quam Dominicum et omnes catholicæ

(1) Jam supra in concione S. Dominici adnotavi, eundem sanctum pacis et caritatis amantissimum nunquam se militaribus copiis, præterim tempore belli immisuisse. Id iterum in memoriam revocandum, ne in sanctorum gestis enarrandi dubia vel falsa veris misceantur magno cum detramento sacra prædicationis.

religionis sectatores interficere. Dominicus autem feritatem, crudelitatem et arma eorum non timens, sola Christi crucifixi imagine armatus, a fronte exercitus eorum stabat, eisque libere doctrinam Evangelicam praedicabat. O quam magna haec sancti illius viri in Deum fiducia! quid tamen, meo quidem judicio, majus in Martino video, qui cum adhuc esset juvenis et miles, solo crucis signo munitus, non solum a fronte formidandi exercitus stare, verum etiam hostium cuneos penetrare promittit. Ecce mirandas Martini, ut militis, virtutes. *Videamus nunc Martini ut monachi sanctitatem.*

II PARS.

Sanctitas beati Martini in statu monachi.

Mundo simul et armis valedixit Martinus: ac in solitudinem secedens, vitam suspect monasticam, tantaque in hoc statu luxit, sanctitatem, ut ab omnibus, tamquam omnis virtutis speculum et exemplar haberetur. Sanctitas autem ejus in statu monachi fuit 1. in humilitate fundata; 2. mortificationibus illustrata; 3. miraculis comprobata.

1. Omnibus notum est, humilitatem esse sanctitatis fundamentum, omnemque penitus ruere sanctitatem, nisi in humilitate firmiter fundetur; et omnibus etiam notum est, quod hoc sanctitatis fundamentum posuerit Martinus, antequam monachus fieret. Quamvis enim a parentibus nobilibus, apud imperatores potentibus et in re militari florentibus originem duceret; licet etiam tribuni, seu ducis mille militum munus, quo pater ejus fungebatur, obtinere potuisse, contempta tamen mundana hac dignitate, humili fungi praelegit officio militis. Cumque variis stipari potuisse domesticis, unico usu est servo, cui ipse alternatim inservit, servique servus fieri voluit. Sciebat Martinus quod Filius hominis non venerat *ministrari*, sed *ministrare* (Matt. 10); ut igitur Christum imitaretur, *subjecto sibi famulo se humilitate subjecit*, inquit sanctus Bonaventura. Et ut ait

sanctus Vincentius Ferrerius, *Martinus ita servo inservit, ut ei plerumque calceamenta detraheret et ipsa detergeret*. O miranda Martini adhuc militis humilitatem! Jamvero cum ad monachii statum advolavit, altius sibi fudit humilitatis fundamentum, suamque sanctitatem in majori humilitate fundavit. Tunc enim ab hominum consortio cessavit, quasi indignum se existimans cum iis versari; et cum quandoque inter eos versari cogebatur, altioris humilitatis radios emittebat: erat enim *veste sordidus, crine incultus, facie despabilis* (S. Bern.). Talem hunc monachum venerabantur quotquot eum agnoscabant; atque eo se viliorum reputabat, que ab aliis majori honore dignus censebatur: *cum Martinus in oculis omnium honorabilis esset, ipse sibimet habebatur vilis* (Lau. Just.). Eum tanto honore dignum consuerunt cives Turonenses, ut mortuo suo episcopo, eum ad episcopalem cathedram evehere volerint; humiliis autem Martinus hac dignitate se penitus indignum reputabat: vocabant eum ad excelsa et ipse ad ima descendebat: eum episcopatu dignissimum proclamabant omnes et ipse eo se indignum existimabat: ad sublimem hanc dignitatem eum vocabant omnes et ipse ad illam evehí renuebat. Sicut Moyses, cum eum Deus principem populi Israel constitueret voluit, ab hoc munere obviendo se excusat; pariter Martinus pre humilitate ad pontificales insulas evehí omnibus quibus potuit modis refugit. Nec a suo monasterio erui unquam potuit, ut ad episcopalem cathedram exaltaretur, donec civis quidam Turonensis, simulata gravi uxoris sua infirmitate, ad ejus genua provolvutus, ab eo obtinuit, ut e suo egredieretur monasterio. Quia arte extra celum adductus, ad civitatem Turonensem deinde ductus est, ubi ad sedem episcopalem fuit sublimatus, licet invitus. Ecce monachum humillimum, cujus sanctitas in humilitate vere fundatur: *ac etiam mortificationibus illustratur.*

2. Sanctitatem coram hominibus nil adeo commendabilem, illustrem et portentosam efficit, ut mortificationes extraordinarie et penitentiae insolite, quibus adhaerent viri sancti; nec enim aliquem ex illustribus iis penitentibus cernere potest populus, quin statim eum ut sanctissimum existimet et proclamet.

Hanc quidem populi auram non amiebat Martinus; tamen superno afflatus spiritu, mox solitudinem ingressus, arctis jejunii, vigilis multis et omni mortificationum genere corpus suum cruciavit, hisque penitentias et mortificationibus sanctitas ejus ita celebris evasit, ut sanctitatis ejus fama undique volaverit. Martini quidem sanctitas omnibus rutilabat virtutibus, omnibusque numeris completa videbatur, illam vero illustrem et apud homines commendabilem fecerunt insolite mortificationes et durus hujus vivendi modus, quem sic describit sanctus Vincentius Ferrerius. *Martinus, licet alii esset pius, sibi erat crudelis, in tantum, quod mirum erat, quomodo poterat vivere. Resignata militia, posuit se cum eremitis, inter quos facebat asperitates magnas. Primo in lecto stricto; cuius plumae erant cineres, linteamina cilicium, cervicale lapis, nihilque praeter tunicam et cilicium induebat. Ejus vixit quotidianus erat panis et aqua (Ser. de S. Matt.).* Elegantioribus verbis de sancti illius viri mortificationibus ait Severus Sulpitius, quod pernox in orationibus et vigilis, fatiscentes artus spiritui servire cogebat, in cinere et cilicio deinde recubabat. Et cum a discipulis rogaretur, ut saltem vitia sibi sineret stramenta supponi; non decet, inquit, filii, christianum nisi in cruce mori. Ita tandem graves, crebrae et perennes extire mortificationes, quibus adhaesit, ut vita ejus in monasterio continuum martyrium fuisse videatur. Ecce monachum, cuius sanctitas mortificationibus vere fuit illustrata, ac etiam miraculis comprobata.

3. De sancta Paula præclare dixit S. Hieronymus, quod cum Romæ commoraretur, a solis romanis civibus agnoscetur; tunc toti, innotuisse orbi, cum in Bethelehem se recepit, ut ibi lateret: *Rome habitantem nullus extra Romanam novaret; latenter in Bethelehem barbara et romana terra miratur* (ib. 3, epist. 8). Similim in modum, quamdiu in castris remansit sanctus Martinus, a solis militibus noscebatur ejus sanctitas; cum a castris recedens, in solitudinem se receperit, ut ibi lateret, Deus sanctitatem ejus toti terrarum orbi manifestavit et miraculis multis probavit. Tacebat ille, latere

quarabat, verum, ut de sancto Hilarione loquitur sanctus Hieronymus, *tacente lingua, miracula loquebantur* (ibid. ep. 2); dum enim ille sileret, miracula qua operabatur, in illius favorem loquebantur et eximiam ejus sanctitatem prædicabant. Martinum hominem in miraculis divitem vocat sanctus Bernardus: *dives est ille Martinus, dives in meritis, dives in miraculis* (serm. de S. Mart.); multaque deinde ejusdem recensens miracula, ait: suscitavit Martinus tres mortuos, quot nimirum Salvatorem legerat suscitasse: reddidit visum cecis, surdis auditum, mutis loquelas, claudis gressum, aridis sospitam. Evasit divina virtute pericula, proprii corporis obice flammam repulit, immanem sacrilegę machinę molem, columna e celo descendente, prostravit, leprosum mundavit osculo, curavit oleo paralyticum, daemones vicit, angelos vidit, futura prævidit. Verum est, quod haec omnia miracula non operatus sit Martinus, cum adhuc esset monachus: tunc tamen duos mortuos suscitavit et multa alia miracula fecit, quae tamquam tot linguæ fuerunt, quae omnibus populis annunciarunt, Martinum esse virum sanctissimum; cum enim supra corpus mortui viri adhuc cathecumeni, sicut alter Eliseus, se extendens, *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ* (Gen. 22), illumque a mortuis excitavit, quid aliud illud miraculum, quam lingua que Martinum monachum magna sanctitate præditum manifestat? Cum nobilis ejusdem viri famulus, qui suspedio perierat, ad vitam revocavit, quid aliud illud miraculum, quam lingua, que pro Martino loquitur et quæ hujus monachi sanctitatem propalat? Pro Martino tandem loquebantur omnia miracula quæ operabatur, quia omnia sanctitatem illius probabant et populus manifestabant. Ecce sanctitatem Martini, adhuc monachi, in humilitate perfecte fundatam, mortificationibus illustratam et miraculis comprobatam: *videamus nunc perfectionem sancti Martini in statu pontificis*.

III PARS.

Perfectio S. Martini in statu pontificis.

Hominum in hoc mundo perfectio in charitate consistit; qui enim bene Deum amat, amat et proximum, pro Dei amore se humiliat, multa pro ejus gloria libenter patitur et omnes alias virtutes ex animo sectatur; ideo ut Martini in statu episcopi perfectionem manifestem, de charitate ejus solummodo loquar, dicamque sanctum hunc episcopum habuisse 1. charitatem beneficam; 2. charitatem patientem; 3. charitatem fervidam.

1. Amor est sui diffusivus et qui bene Deum amat, non querit quae sua sunt, ast in omnes et praecipue erga pauperes, quos ut Christi membra respicit, se liberaliter et beneficium exhibet. A liberali et benefica hac charitate plurimum in sacris paginis commendatur Tobias, qui pauperes vocabat ad prandium, afflictos consolabatur eloquio et mortuos sepeliri curabat. Eadem quoque charitate praeditum fuisse constat S. Martinum, qui studebat assistere laborantibus, opem ferre miseris, alere egenos, vestire nudos, nihilque sibi praeter quotidianum victimum reservabat (S. Bonav. ibid.). Proventus suos in emendis superfluis et superbris vestibus, in lautis et magnificis conviviis, in ludis, venationibus, vanitatis et mundi oblectamentis non dissipabat; omnia sua pauperibus, viduis, orphani, captiuis, xenodochiis et ecclesiis distribuebat; ac, ut censem sanctus Vincentius Ferrerius, *Martinus pro sua persona de redditibus episcopatus non expendebat decem florenos in anno, cætera autem dabit ecclesiis et pauperibus* (ubi sup.). Asserit Christus, quod tamquam sibi presista acceptet beneficia que pauperibus impertimur: *quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (Matth. 25). Hoc et in semetipso expertus erat Martinus, dum adhuc militiam sectaretur; cum enim dimidiā clamydias partem pauperi dedisset, proxime sequenti nocte vidit coslos apertos et ibi Christum hac vestitum clamydias parte, angelis

dicentem: *Martinus, adhuc cathecumens hac me ueste contexit.* Propterea Martinus pontifex factus, erga pauperes magis beneficium et munificum se prebuit: Christum enim in pauperibus inspiciens, omnia sua iis libenter erogabat et ideo a Laurentio Justiniano vocatur *egenorum pater*. Eratque vere eorum pater, dum eos penuriam patientes alebat, eos nudos operiebat, omniaque veri patris officia eis impendebat. Miramini sancti hujsus pontificis charitatem, que vere fuit beneficia et liberalis. *Ad hec S. Martinus habuit etiam charitatem patientem.*

2. *Charitas patientis est* (D. Paul.), nec bene Deum amat, qui pro ejus amore pati designatur. Imo, inquit Doctor Angelicus, qui bene amat, pro persona amata *patitur magna, patitur multa, patitur diu*. Hac autem charitate patiente Deum amavit Martinus, qui pro ejus amore innumera, eaque gravissima, usque ad ultimum vita terminum constanter pertulit. Taceo gravia multa, quae a seipso pro Dei amore passus est, *tum diris jejuniis, quibus corpus sumum afflictavit: tum artissima paupertate, cuius se subdidit: tum laboribus plurimis, quos pro populi sui salute exantlavit; alia enim et majora habemus patientiae suas argumenta sumpta ab his quae ab invidis haereticis, idololatriis et perversis christianis perpessum novimus, que tot et tanta fuerunt, ut ratione illorum, Martinum verum fuisse martyrem, dicat sanctus Bernardus. Ceterum, inquit, persecutiones, quas sustinuit Martinus propter justitiam, longum est numerare. Quomodo apud Julianum Augustum in civitate Wanganionum intrepidus, imo et illato terrore constantior, custodie mancipatus est, ut inermis postero die barbaris opponeretur; quomodo circa alpes sub securi, quam in verticem ejus latro vibrabat, securissimus fuit; quomodo illum Mediolani Auxentius Arianus graviter insectauit, multisque appetitus injuris, tandem de civitate exturbavit; quomodo et alibi adversus sacerdotum perfidias acerrime pugnans, supplicio fuit affectus, publice virginis caesus, inde quoque exire compulsus est; quomodo item in cuiusdam fani eversione, cum eum gentilis quidam stricto gladio petret, nudam cervicem prebuit percussuro, donec ille extollens ad ictum dexteram, cecidit resupinus;*

quomodo alter eum cultro ferire voluit, sed ferrum de manibus ejus elapsum repente disparuit. *Pro quibus omnibus*, concludit Bernardus, *dubium non est, multipliciter coronari Martinum, qui quidem, etsi non semel effectu consummatae passionis, toties tamen martyr fuit affectu devotissime voluntatis* (Serm. de S. Mart.). Licet D. Paulus ferro martyr occubuerit, eum etiam *martyrem sine ferro, ex sola charitate morientem* vocat S. Laurentius Justinianus. Antequam ferro martyr fieret, charitate martyr fuit D. Paulus, quia ex nimia qua ardebat charitate, gravia pro Christi amore pertulit, pluribus se exposuit mortis periculis et pro salute fratrum mori optavit. *Cupio impendi et superimpendi pro salute vestra* (1 Cor. 12, 15). Si autem Paulum hoc modo charitate martyrem dicamus, quomodo, inquit sanctus Laurentius Justinianus, *martyrii gloriam Martinum non habere censendum est, qui flagrante amore martyrii, pro catholice fidei testificatione terrenorum principum nec expavit potentiam, neque hereticorum securitatem cessit, quin constanter veritatis propalaret regulam, eorumque confutaret errores?* Magnum prorsus est hoc martyris genus, ultro se pro Christi honore dare periculis. *Toties igitur martyrii promeruit palmarum, quoties se inimicis fidei opposuit.* Habuit ergo Martinus charitatem patientem, cum tot et tanta pro Christo pertulerit et perpeti ambierit. *Ipse habuit etiam charitatem ferevidam.*

3. Martinus iugi cogitatione ferebatur in Deum, intendebat semper in eum, cui se devoverat, ac oculis et manibus in celum semper intentus, *invictus ab oratione spiritum non relazabat*. Ita in Deum mens ejus ferebatur, ut nec cura pastorali, nec negotiorum multitudine, nec vita praesentis necessitatibus a Dei contemplatione averteretur. Ex assida autem hac Dei cogitatione et contemplatione exardeiscebat in corde ejus ignis charitatis, quo ita accendebatur, ut toto Christum diligenter affectu, *ne a Dei posset amore divelli* (Laur. Just. ibid.). Fervida hac charitate exarsit Martinus, cum sicut alter Paulus, se exhibui Dei ministrum *in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carcerebus, in seditionibus*.

nibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis (2 Cor. 6) et in aliis multis, que pro Dei amore fecit et passus est. Feruentem cordis sui charitatem potissimum manifestavat sanctus Pontifex, cum morti proximus et in extremis positus, Deum alloquens, dixit: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.* Haec enim verba perpendens Bernardus, non satis admirari potest fervidam Martini, sic loquentis charitatem, dicens: *o vere sanctissimam animam! o inestimabilem charitatem!* Et revera ignita et charitatis igne succensa videntur haec Martini verba, maximaque in his verbis appetat ejus in homines charitas, cum pro illorum salute et consolatione velit ipse a colesti beatitudine retardari, a diu desiderata beatorum spirituum societate differri et ab ipso introitu gloriae aeternae ad tempus revocari. Licet maxima et ardentissima sit beatorum angelorum in Deum charitas; dubitare tamen videtur sanctus Bernardus, an tanta ardeant in Deum charitate, ut parati essent ad ipsi obtemperandum, si visione beatifica eos ad tempus privare vellet. Sic enim angelos affatur: *nescio, an inveniatur in vobis quisquam paratus in tale aliquando ministerium mitti, in quo necesse habeat, non videre faciem Patris* (ubi sup.). Jamvero tanta ardet Martinus charitate, ut cum ei esse offerat colestis beatitudine mox possidenda, paratus sit ab illa retardari et ad labores multos pro animarum salute perferendos, Deo dicens summo spiritus fervore: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem; fiat voluntas tua.* O ardentissimam Martini charitatem! Miramini Martinum, qui in omni statu piissime vixit et semper ambulavit vocatione, qua vocatus fuit: ac item eum imitamini digne ambulantes vocatione, qua vocati estis. *Obscero itaque vos ego vincetus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis* (Ephes. 4). Deus cuius providentia in rerum dispositione non fallitur, varios in hoc mundo voluit esse hominem status, in quibus omnibus quisque salvari potest, modo media sibi oblata ad sancte vivendum in statu, ad quem se vocatus est. Non vult Deus, ut illius tantum vel istius status homines

salvi fiant, verum in quacunque vocatione inveniantur *vult Deus omnes salvos fieri* et in omni statu æternam consequi salutem. Quapropter non dicat miles, si essem sacerdos, piuisse viverem; non dicat mercator, si essem Carthusianus, semper orationi insistarem; non dicat judex, si essem eremita, nulli injuriam facerem; non dicat princeps, si essem ordinis minorum religiosus, humilitati penitus incumbensem. Atvero miles, mercator, judex et princeps digne ambulent vocatione qua vocantur et quisque in statu ad quem vocatus est, animam suam salvare conetur. Hoc certum habete, quod status non damnat homines, et ideo damnantur homines, qui in statu in quo reperiuntur, recte vivere et vocatione qua vocati sunt, ambulare nolunt; in quolibet enim statu quisque salvari potest, si velit. Heu! nonne aliqui milites salvi fiunt? Nonne mercatores aliqui æternam consequuntur beatitudinem? Nonne ex iudicibus aliqui inter sanctos annumerantur? Nonne ex principibus aliqui catalogo sanctorum adscripti noscuntur? Multi quidem milites, mercatores, judices, principes, ac cuiusvis status et dignitatis homines jam felicitate fruuntur æterna. Ne ergo respiciatis, quis sit status, in quo reperiuntur, verum in cœtu vestro pie vivite, in eo digne ambulate; imitamini illos vestri status, vestraque conditionis homines, qui christiana vivunt et fideliter Deo inserviunt. Digne tandem ambulare vocatione, qua vocati estis, sicut sanctus Martinus et cum ipso ad regnum æternum pervenietis, in quo interminatam, ineffabilem et omni genere completam beatitudinem possidebitis. Amen.

DE PRÆSENTATIONE B. V. MARIE

CONCIO UNICA.

Surge, propera, amica mea, et veni (Canticorum 2).

Cum Templi Dominum paritura et Dei Templum futura esset Maria, nullibi aptius et congruentius quam in Templo commorari potuit; et ideo ad eorū ejus loquens Spiritus Sanctus, nunc illi inspirabat, ut parentes et paternam domum relinqueret: *audi, filia, et vide et inclina aurem tuam et obliviscere populum tuum et domum patris tui* (Psal. 44): et nunc illi suggerebat, ut surget, properaret, ac cito ad Dei Templum veniret: *surge et propera, amica mea, et veni*. Dominus sibi intus loquentem audivit Virgo, et divina vocationi obtempore raro cupiens, parentes enixa rogavit, ut ipsam jam triennem ad Templum adducerent, eamque ibi religiose et liberaliter Deo offerent. Cujus prius precibus annuentes Joachim et Anna, mox illam ad Templum duxerunt, ut quam a Domino acceperant, Dominō redderent et consecrarent. Multi hodie contemplantur Virginem sacram summa cum modestia e propria domo egredientem; gressus illius dinumerant et admirantur non pauci, dicentes: *quam pulchri sunt gressus tui, Filia principis?* Hodie velim solum, ut eam in Templo Jerosolymitanō consideremus, ubi et a seipsa et a parentibus Deo offeratur. Hec nota solemnitatis hodiernæ causa et hæc erit tota orationis istius materia. *Ave.*

Licet Deus sit ditissimus, nostrisque nequaquam egeat bonis, nostra tamen ei non displicant munera; imo et ei multum placent et gaudent ut in testimonium supremi ejus in nos dominii nosmetipos, necnon alia munera illi offeramus. Hoc Dei ingenium non ignorabant Joachim et Anna: hoc sciebat et Maria; ideo ad templum Jerosolymitanum hodie accedunt non tantum ut ibi adorent in spiritu et veritate, verum etiam ut Deo munus pretiosissimum, sanctissimum et dignissimum offerant. Hoc munus

est ipsa Maria, quæ Deo offeruntur a parentibus et a se ipsa: *offeruntur* a parentibus singulari pietate et devotione: *offeruntur* a semetipsa ardentissimo zelo et amore: *offeruntur* Maria a parentibus: hinc discant oportentes, filios suos Deo offerre: *offeruntur* a seipsa; hinc discere debent filii semetipsos offerre Deo. Videamus 1. pietatem et devotionem parentum Mariæ, qui eam Deo offerunt: 2. zelum et amorem Mariæ, quæ semetipsam Deo offerit. *Oblatio* Joachim et Annæ, qui Mariam Deo offerunt: *oblatio* Mariæ, quæ seipsam Deo offerit; en duas hujus concionis partes.

I PARS.

Oblatio Joachim et Annæ, qui Mariam Deo offerunt.

Multi ex conjugatis, cum prole carent, anguntur interius, gemunt, votisque multis a Deo filios postulant, dicentes: *da mihi liberos, alioquin moriar* (Gen. 30). Jamvero o infandam multorum hominum ingratitudinem! qui cum pueros obtinuerint, eos non Deo, at mundo et vanitati et voluptati consecrant. Ingratis hisce parentibus nequaquam similes fuerunt Joachim et Anna, qui summo pietatis affectu Deo obtulerunt Mariam: 1. licet unica eorum filia esset; 2. licet perfectissima; 3. licet ab iis supra modum dilecta.

1. Unica Joachim et Annæ filia fuit Maria, quam precibus, votis, jejuniis et lacrymis multis a Deo obtinuerunt. Hæc fuit unica, hæc immaculata columba, quam sterilis Annæ venter in lucem edidit: *una est columba mea* (Cant. 6). Maria, ut ait Euthymius (in 19 Joan.), unigeniti Filii Dei Mater futura fuit etiam unigenita: *unigenita erat Dei Mater*. Quamquam vero unica Joachim et Annæ proles Maria fuerit, eam tamen tertio ab ejus nativitatibus anno ad Templum pii parentes adduxerunt, eamque ibi Deo in obsequium perpetuum consecraverunt. Non diu in paterna domo mansit Virgo; veluti nobilissima arbor, in solum pinguis, id est in Templum est translatâ:

ad Templum adducitur Virgo et in domo Dei plantata instar olive frugiferae, virtutum omnium domicilium efficitur (S. Damas. de fide 4, 15). Minime cogitarunt pii beatissimæ Virginis parentes: unica nobis manet filia et ideo ut a nobis discedat haud expedit. Non dixerunt: cum unica nobis sit filia, in domo nostra potius quam in templo educari necesse habemus. Non dixerunt: cum sit unica filia nostra, eam juxta mundi et vanitatis leges educabimus. Tanta enim eorum extitit pietas, tantusque zelus, ut nequaquam cunctati eam vix triennio magna cum lætitia et celoritate Domino obtulerint: *Anna haud cunctata est eam ad Templum adducere, ac Deo reddere et promissum prestare* (D. Greg. Nyssen. orat. de Nativ. Christi). Cunctantur persæpe parentes, cum de consecrandis Deo filii agitur; imo, si unica sit proles, eam Deo in religione probata, vel aliqua congregatio offerre renunt; Joachim autem et Anna minime cunctantur, cum de offenda Deo unica filia agitur; eam enim generose, hilariter et absque ulla cunctatione in templo consecrant, ut ibi simul cum aliis sacris virginibus toto vite tempore Deo inseruant. Miramini Joachim et Annam, qui jucundo animo Mariam Deo offerunt, licet unica eorum esset filia: *ac etiam licet perfectissima esset*.

2. Quam perfecta fuerit Maria docet nos Spiritus Sanctus, de ea dicens: *una est perfecta mea* (Cant. 6). Maria enim *una est perfecta*, quia ipsa una et sola omnes aliarum creaturarum perfectiones possident. Vel etiam *Maria una est perfecta*, quia tot, tamque eminentes possedit perfectiones, ut, sicut stellæ in conspicu solis evanescunt et quasi non sunt, ita et aliorum sanctorum perfectiones, si cum Maria perfectionibus conferantur, quasi nihil censentur et ipsa sola perfecta esse videtur. Vel tandem Marianus Deus perfectam suam vocat, *una est perfecta mea*: quia eam omni perfectionum genere replevit; cum enim eam Deus ab æterno in Filii sui matrem elegerit, eam in tempore omnibus perfectionibus infinita huic dignitati convenientibus adoravit. Unde dicunt nonnulli, mensuram perfectionum Mariæ ex Dei potentia sumendam; ex hoc namque quod Deus Mariam ad divinam maternitatem evexit, optime infertur,

quod, quantum juxta ordinem sapientiae sue potuit, eam privilegiis et perfectionibus ditavit. Perfectissimam ergo fuisse Mariam nullus inficiabatur; eam ergo, licet perfectissimam Deo p̄i parentes obtulerunt. Joachim et Anna non imitati sunt integratos illos parentes, qui que perfectiores a Deo accepere filios, eo magis illos in Religione, vel in Ecclesia ei offerre renunt; nec ei libenter offerunt, nisi corpore deformiores et ingenio hebetiores. Isti similes dicendi Caino, qui, quæ in gregō deteriora habebat, Deo sacrificabat: Joachim et Anna Abelem imitantes, non solum quod in domo eorum, verum et quod in toto orbe pretiosius et perfectius Deo obtulerunt; nempe Mariam eorum filiam, qua nihil praestantius in mundo reperiebatur, nec Deo offerri poterat. Unde sic piis Mariæ parentibus congratulatur S. Joannes Damascenus: *o par beatum, Joachim et Anna, vobis omnis creatura obstricta est, per vos enim donum omnium donorum praestantissimum Creatori obtulit; nempe castam matrem, quæ sola Creatore digna erat* (orat. 1 de Nat. Virg.). Joachim ergo et Anna Deo suam offerunt filiam, licet summe perfectam: *ac etiam licet summe dilectam.*

3. Vix concipi posset, quanto amoris affectu Mariam prosequentur Joachim et Anna. Eam a Deo precibus et fletibus multis impetrarant; eamdem jam aestate proœcti pepererant; illam, soluto sterilitatis vinculo, miraculose generuant; unica hæc eorum erat filia, cuius pulchritudinem sol et luna mirabantur et cuius præcelse perfectiones angelos in admirationem rapiebant: his et aliis multis rationibus commoti p̄i parentes, filiam suam summo affectu diligebant. Nunguam filium suum Absalon ita dilexit David; nunquam Isaac suum Esau, nec Israel suum Josephum tantum amavit, quantum Mariam filiam suam amabant Joachim et Anna. Summe amabilis erat Virgo et summe a parentibus amabatur; eam tamen, licet summe dilectam, jucunde et hilariter Deo obtulerunt. Haud imitati sunt Joachim et Anna improbos illos parentes, qui quos oderunt filios et filias, minis et flagellis, vi et metu, aliusque illicitis modis ad statum religionis capessendum cogunt, et qui contra, quos ex naturali propensione amant filios, a religionis

proposito deterrent, ac ne mundo valedicant prohibent. Misericordia parentibus totaliter dissimiles fuere Joachim et Anna; licet enim Mariam summo affectu diligenter, eam tamen voluntarie, libenter et hilariter Deo obtulerunt. Magna inter Annam Marie et Annam Samuelis matres intercessit similitudo; utraque enim erat nupta, utraque sterilis, utraque ob sterilitatem afficta. Templum utraque quam frequentissime aderat, utraque precibus multis prolem a Deo petuit; desiderii sui finem utraque obtinuit et utraque futum quem penerit, Deo in Templo religiose obtulit atque sacravit. Præterea in prolis amore specialiter similes apparent haec duo sanctæ mulieres. Anna enim Samuelis mater filium suum dilexit veluti propria viscera: et ideo dixit Chrysostomus, eam sus immolasse viscera, cum filium suum Deo obtulit: *suorum viscerum facta est immolatrix* (hom. de Anna). Eodem prorsus modo Joachim et Anna suam diligebant filiam, eam veluti propria viscera amabant; nihilominus eam ita solemniter et hilariter Deo obtulerunt in Templo, ut ad hanc oblationem sacerdotes, virgines, cognatos et amicos multos convocaverint; non solum ut sacrae huic adstarent cærimoniae, verum et ut ipsis congratularentur, eo quod filiam suam non terreno, sed coelesti regi consacrerent: sic enim Annam Deipara matrem loquente inducit sanctus Germanus, Constantinopolitanus Antistes: *virginum catervas coigi cum lampadibus et convocavi sacerdotes, congregavi cognatos meos, omnibus dicens: congratulamini mihi, quod hodie mater et productrix effecta sum, non regi terreno meam offensens filiam, sed Deo coelesti* (serm. de Præsent. Virg.). Ecce piam atque religiosam Joachim et Annæ oblationem, ex qua discere debent parentes, filios suos, etsi unicos, etsi perfectissimos et summe dilectorum non mundo et vanitati, sed Deo optimo, maximo ab ipsa infantia offerre. Meminerint parentes, satanam esse draconem illum tartareum, quem vidit Joannes apertis fauibus expectantem partum mulieris, ut continuo illum devoraret: antequam enim pariantur pueri, expectat daemon partum illorum, ut quam citius poterit, eos ad peccatum alliciat et devoret; quapropter summa solicitudine invigilare debent

parentes, ut filios suos adhuc tenellos, dæmoni, mundo et vanitati subtrahant, ac Dei obsequio totaliter mancipent. Nec dicant parentes: unicus nobis est puer, isque ita perfectus et a nobis ita dilectus, ut ejus propensionibus, licet pravis et malignis, nullatenus contraire audeamus. O parentes, si unicus vobis est filius, isque perfectissimus, eum diligere debet; si autem illum vere diligatis, Dei obsequio eum dicabitis instar Joachim et Annæ, qui Mariam filiam suam unicam et summe dilectam, Deo ab ipsa infantia generose et hilariter obtulerunt. Ecce oblationem Joachim et Annæ. *Oblationem Marie nunc perpendamus.*

II PARS.

Oblatio Marie, quæ seipsam Deo offert.

Triplex sanctissimæ Virginis Mariæ fuit præsentatio: *prima* ab æterno, cum menti Patris æterni præsens effecta ab eo in unigeniti Filii sui Matrem est electa; *secunda* fuit ab instanti conceptionis ejus; ex tunc enim semetipsam obtulit et exhibuit hostiam viventem, sanctam, Deo placentem: *tertia* est præsentatio hodierna in templo: ubi Deo oblationem sui facit promptam, integram et irrevocabilem: 1. *promptam*, quia dat se cito; 2. *integrum*, quia dat se totaliter; 3. *irrevocabilem*, quia dat se pro semper.

1. Non arietem, non vitulum, non margaritas, non aromata, vel auri talenta, at semetipsam Deo hodie offert Virgo Maria, quæ licet tribus solummodo annis nata, perfectam Deo sui oblationem complevit. Sciebat Virgo, quod *qui cito dat, bis dat*; sciebat etiam, quod non bene vult, qui tarde vult et quod *tardæ velle, nolentis est* (Senec. *de Benef.* 1, 5); idcirco ab ipsa infantia seipsam Deo sollemniter obtulit et dedit. Centum et viginti annos compleverat Abraham, cum filium suum Isaac Deo obtulit; trienius tantum erat Maria, cum seipsam Deo solemní pompa consecravit. Ab instanti quo corpori beatis-

sime Virginis infusa fuit anima, mens illius coelesti lumine illustrata jam ex tunc ad eor audire cepit loquentem Spiritum Sanctum, qui eam ad solemnem sui ipsius oblationem in Templo Jerosolymitanu consumandam invitavit, dicens in corde illius: *veni columba mea, veni ad Templum Domini, ut ibi in perpetuum obsequium te Deo offeras: quamprimum ergo et absque ulla dilatione ad Templum properavit Virgo, ibique Deo publicam sui ipsius oblationem fecit. Vidi Joannes beatissimam Virginem Lunam sub pedibus habentem; Luna sub pedibus ejus* (Apoc. 12). Lunam sub pedibus habuit Maria, non solum quia omnia sublunaria contempti et quasi pedibus calcavit, verum et quia citissime se Deo obtulit. Nullus planeta, ut adnotant astrologi, ita prompte et celeriter suum cursum peragit, ut Luna; ad idem enim unde moveri copit punctum reddit Saturnus post annos tringita. Jupiter post duodecim, Mars post duos, Sol post trecentos sexaginta quinque dies et aliquas horas, Mercurius et Venus idem fere tempus insument: at Luna viginti septem diebus et aliquot horis cursum suum perficit. In hoc quidem mundo omnes sancti ad Deum encurrerunt, alii citius et alii tardius; beatissima Virgo, tamquam Luna mystica, alios omnes celeritate sua vicit: ab instanti enim conceptionis ad Deum tota corde properavit, Deoque se obtulit; et cum tertium a nativitate sua annum complevit, externam et publicam sui oblationem in Templo perfecit. Hec differentia notatur inter corvum et columbam, quos ab area dimisit Noëmus, quod ad arcam non redierit corvus et ad eam reversa sit columba. Ad arcam non reddit corvus, quia fastidis cadaveribus vorandi incubuit: columba vero, quæ supra cadavera aquis supernatantia requiescerat noluit, reversa est ad eum, qui eam miserat. *Reversa est ad eum in arcam* (Gen. 8, 9). Omnes penitus homines tunc in hunc mundum a Deo mittuntur, cum in mundo nascuntur; ex his autem in terram a Deo missis hominibus multi fallacibus divitias, vel turpibus deliciis inhærentes, ad Deum, a quo missi, minime revertuntur; Maria vero, velut columba, ad Deum a quo missa est, quam citissime reddit per promptam sui oblationem: a prius enim vite sue annis, cum

vix incedere posset, ad Templum leta properavit, ibi solemnum sui oblationem fecit, palamque se Deo obtulit, dicens: *ego dilecto meo*. Hominum multi a juventute illicitis se totos dedunt voluptatibus, dicuntque in corde suo: *ego voluptati*; alii divitiis comparandis inhiant, dicuntque: *ego divitiis*; alii ad honores et dignitates temporales assequendas anhelant, dicuntque: *ego honoribus*. Maria a primis vita sue annis ad Templum se contulit, ibique coram sacerdotibus, amicis et parentibus se Deo alacriter obtulit, dicens: *ego dilecto meo*; seu, ut explicat Hugo cardinalis, *ego dilecto meo me offero*. Non desunt qui Deo in futurum se oblatur pollicentur, dicentes: cum insenuero, cum instabat mors, vel cum ab obruentibus negotiis liber et expeditus evasero, tunc Deo dilecto meo me offeram. Maria vero suam non differt oblationem; ipsa ad Templum triennis accelerat, ibique sese prompte Deo offert, dicens: *ego dilecto meo me offero*. Igitur beatissimae Virginis oblatio fuit prompta, quia dedit se cito: *oblatio ejus fuit etiam integra, quia dedit se totaliter*.

2. Philomela suavissimum ex arbore frondosa viatoribus audiendum emitte cantum; si vero ad eam capiendam manum extendant, mox aufugit; et quea cantum libere obtulit, seipsam offerre renuit. Similem in modum multi pecuniam, pecora, aliquaque his similia, non seipsos Deo tradunt. Virgo autem se totam Deo obtulit, exceptit nihil: nullo enim terreno affectu transitoriis mundi bonis unquam adhaesit, nec aliquid sui ipsis sibi reservavit, se totam et totaliter in holocaustum hodie Creatori suo consecravit: unde in Templo eam audire video, dicentes: *Dominus possedit me* (Prov. 8, 22). Verum quidem, quod Deus ab instanti conceptionis ejus illam possederit ut Dominus et misericors: *ut Dominus*, quia ab hoc instanti Maria extitit ejus creatura, ac proinde ejus dominio subdita: *ut misericors*, quia ab hoc instanti per suam piissimam misericordiam eam ab originali labe præservavit; atvero novo titulo eam Deus hodie possidet, nempe titulo donationis, quia ipsa se totam Deo obtulit et dedit. Sanctæ Mariæ Magdalena oblationem adeo integrum et perfectam dicit sanctus Ciprianus, ut totam se Deo obtu-

lerit, nihilque sui sibi reservarit: *nihil sibi de se retinet, totam se tibi decovit (de ablut. ped.)*. Magnam quidem hanc peccataria Marie oblationem fuisse omnes norunt; tamen major haud dubie extitit oblatio innocentis et Dei Genitricis Mariæ, quae hodie mentem, cor, manus, oculos, ora, sequē totam Deo offert: *mentem* quidem, quam mysteriorum divinorum contemplationi totaliter addicit: *cor*, in quo perpetuum amoris sacri ignem accendit: *manus*, quas sacri templi ministeriis consecrat: *oculos*, quos omnibus terrenis claudit: *os*, quod ad spiritualia et divina proferenda solummodo aperit: se tandem totam Deo offert et consecrat: *totam se tibi decovit*. Unde specialiore quadam iure hodie dicere potuit Virgo: *dilectus meus mihi et ego illi* (Cant. 2); seu dilectus meus est totus mihi ex decreto Incarnationis, quo statuit in sinu meo quod corpus, animam et divinitatem aliquot mensibus commorari; et ego vicissim tota sum illi per integrum et totalem mei oblationem. O quam pauci se totos Deo offerunt! sua quidem multi, suos aliqui, se ipsos paucissimi Deo totaliter consecrant. Heu! quis vere asserere posset, se, suas omnes cogitationes, suos omnes affectus, sequē totum Deo obtulisse? Quis vere dicere posset: *ego totus sum Christo*? Aliqui toti sunt bonis quae possident; alii honoribus quos ambiant: et alii alicui creature, quam plus quam par est diligunt; paucissimi toti sunt Christo. O Domine, converte nos ad te et fac, ut qui toti sumus a te, totos nos tibi offeramus instar Mariæ, cuius oblatio fuit integra, quoniam se tibi dedit totaliter: *fuit etiam irrevocabilis, quia dedit se pro semper*.

3. Magnum quidem in se et ex se extitit donum, quod hodie obtulit Maria, cum seipsam Deo totaliter consecravit; majus autem evasit ex affectu Virginis: *tum quia seipsam obtulit ex purissimi amoris affectu: tum quia obtulit se generoso affectu non ad tempus solum, at in perpetuum se Deo consecrandi*. Unde haec verba: *dilectus meus mihi et ego illi*, sic explicat Hugo cardinalis: *et ego illi tota vivam et tota moriar*. Seu ego me Deo offero ita ut nunc et semper, sive in vita, sive in morte tota illi esse velim. Se Deo multi offerunt ad

tempus; hodie totos se Deo consecrant et intra paucos dies vili cuidam creaturæ turpiter se mancipant. Cum ad ponentia tribunal se sistant, nil iis humilius, nil Deo sacratius; mox ab hoc tribunali ad loca se conferentes, in quibus peccare consueverunt, mox insurgunt adversus Dominum et adversus Christum ejus. Cum tempus sanctissimi Eucharistiae Sacramenti suscipiendo instat, totos se Deo plures offerunt; et cum a sacra hac mensa recesserunt, Deo se subtrahunt, ut omnes affectus suos, ac seipso mundo et vanitati dedant. Hi quidem stulti censendi, qui enim lunam in capite habeant, sicuti luna mutantur: *stultus ut luna mutatur.* Maria autem lunam sub pedibus habuit; *luna sub pedibus ejus:* quia luna dominata, nil prorsus ejus mutabilitatis et inconstitance extitit particeps; quin contra, constanti proposito totam sive in vita, sive in morte, se Deo in perpetuum obtulit. Hoc distare videtur inter Mariæ et aliorum quamplurium oblationem, quod discriminis inter glaciem et crystallum reperitur; sicut enim glacies, calore illam invadente, in labilem aquam facile resolvitur; crystallus vero, licet plurimum incalescat, soliditatem suam retinet, nec in labilem aquam per sui resolutionem exit; ita et oblationes quas Deo plerique hominum faciunt, frigide, fluxæ, labiles et transitoriae sunt, ac veluti glacies facile resolvuntur: oblatio vero Mariæ pura, firma et stabili mansit sicut crystallus; non enim ad tempus sed in perpetuum Deo se obtulit. Miramini hanc Mariæ oblationem, simulque Deo, instar immaculate hujus Virginis, vosmetipso offerte; vos et omnia vestra offerte Deo, a quo vos et omnia habetis: *da omnia ei, qui omnia donavit* (S. Greg. Nazianz. orat. 16). Ad hanc Deo oblationem perficiendam innumeræ vos movere debent rationes; præcipue vero merces magna, quæ dabitur in celo his, qui se Deo obtulerunt in hoc seculo; semper enim Deus dona largitur multo majora et pretiosiora iis, quæ ipsi offeruntur. Sicut rex Salomon dedit reginæ Sabæ cuncta, quæ voluit et quæ postulavit et multo plura quam attulerat ad eum (Paral. 9); ita et Christus, verus Salomon, magna donat in celo iis qui parva ei offerunt in hac vita: ideo vos et vestra, quæ parva sunt, offerte Deo cum Maria

et instar illius, non solum prompte et totaliter, verum etiam constanter et irrevocabiliter Deo vos dedicate. In corde suo dicat quisque Deo: o Domine, *tuus sum ego,* meque totum tuum esse cupio; o Domine, cum totus a te sim, me totum tibi reddo, meque totum tibi offero oblatione perpetua, nec a frimo hoc proposito quidquam me movebit. Veniant adversum me terrificæ dæmoniorum legiones, insurgat adversum me infesta caro, accedat mundus, si velit; nec dæmonum saevitia, nec mundi malitia, nec carnis illecebra a meo me proposito movebunt: *non movebor in eternum* (Psal. 14). Si hujusmodi vestra sit oblatio, acceptabilis Deo erit, ejusque merces copiosa erit in celis. *Amen.*

DE SANCTA CATHARINA

CONCIO UNICA.

Omnis gloria filiae regis ab intus (Psal. 44).

Fidelium cordibus internam aliquam dulcedinem et delectationem infundere videtur hodierna festivitas; plerique enim interno quodam afficiuntur gaudio, memoriam celebrantes illustris illius filia, quæ de seipsa, de mundo, de idolatria, de philosophis et de tyrannis gloriore triumphavit, ut Christo virginum sponso totaliter adhaereret. De incomparabili virgine Catharina loquor; cuius natale solum fuit urbs Alexandrina, in qua a parentibus nobilitate magna fulgentibus orta et juxta exitiosas mundi leges educata, altissima et inscrutabilis Dei providentia, quasi e medio Babylonis educta est, et ad Christi fidem vocata; cuius fidei præcepta adeo perfecte calluit, et cui tam firmiter adhesit, ut de ea coram imperatoribus adversus philosophos gentiles doctissime disputaverit, ac pro ea generosissime, etiam